

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 9

Artikel: Stephani Hathvani [...] dilucidatio uberior paragraphi ulltimi animadversionum suarum, qui in MUS. Helvet. partic. VIII. p. 603 & 604 legitur
Autor: Hathvani, Stephanus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394621>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 30.04.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

STEPHANI HATHVANI

V. D. M. ET. MEDIC. DOCT.

DILUCIDATIO

uperior Paragraphi VIItimi Animadver-
sionum suarum, qui in MUS. Helvet. Par-
tic. VIII. p. 603. & 604. legitur.

Nuper brevitatis temporis & festinatio jusse-
runt, ut Justinus Martyris locum, qui in
Apologia I. §. 6. pag. m. 47. legitur la-
tine solum, si ab unica sententia disce-
das restituerem. Sed plane cum in illa sententia
cardo rei vertitur, hæc vitiose exscripta est. Enim-
vero cum non satis distincte litteras vocis *σρατου*
pinxi; factum est, ut loco *υ* alia huic similis
littera *ν* sumeretur. Præterea etiam articulus *τῶν*
omissus erat. Quare id e re mea esse putavi, ut
totum textum hic Græce communicarem; quo-
modo locum illum Justinus restituendum censeam.
Justinum ego ita legendum existimo: Ἐνθένδε
καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα. καὶ ὁμολογῶμεν τῶν ποιη-
τῶν νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι· ἀλλ' ἐχὶ τῆ ἀλη-
θεσάτῃ, καὶ ΠΑΤΡΟΣ δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης,
καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, καὶ τοῦ τῶν ἄλλων ἐπομένων,
καὶ ἐξομοιωμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων *σρατῆ*, ἀνεπιμίκτη
τὴ κακίας θεῶ· ἀλλ' ἐκεῖνον τὸ, καὶ τὸν παρ' αὐτῆ υἱὸν
ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, πνεῦμα τὸ τὸ
πρῶ-

προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνῶμεν, λόγῳ καὶ ἀλη-
 θεΐα τιμῶντες. *Hinc factum est, ut Athei adpellemur.*
Atque Atheos nos quidem esse confitemur, si de ejusce-
modi (commentitiis) Diis agatur. Sed si de verissi-
mo illo (Deo) PATRE justitiæ, temperantiæ & alia-
rum virtutum, ut & aliorum bonorum Angelorum ex-
ercitus (Patre), qui illum adseclantur eique adsimila-
ti sunt; atque cui Deo, nulla est admixta vitiositas
(agatur), Athei minime sumus. Sed EUM (Deum
Patrem) & Filium, qui ab eo venit, ac nos ista do-
cuit, & Spiritum Propheticum colimus & adoramus,
ratione & veritate venerantes.

In quo nunc lectio nostra, a lectione vulgari
 differat, ex collatione Sphi hujus cum §. VII. pag.
 603. intelligi poterit. Hujus meæ lectionis jam
 aliquas rationes ibi adtuli, quibus has nunc adji-
 cio. Nihil frequentius in describendo accidit,
 quam ut *v* loco *v* pingatur, cum primis a lin-
 guæ græcæ minus peritis. Eodem modo si li-
 brarii non satis in describendo adtendunt, facile id
 accidit, ut has duas litteras inter se permutent.
 Id quod ipse ego in Animadversionum mearum
 iterata impressione, propria experientia didici. Et-
 si enim in Dissertationis meæ Basileæ editæ, §. III.
 linea sexta, distincte expressum haberetur λόγου,
 quo exemplari typhotetæ usi sunt; tamen nunc
 pag. 586. §. III. linea nona, vitiose recusum le-
 gitur λόγον. Cum autem si lectio vulgaris Justinii
 vera esset, tum Justinus sibi ipsi contradixisse cen-
 seri deberet; id quod pag. 605. supra ostendi:
 Hoc tamen sine summa injuria de eo cogitari
 non posse, pag. 621, 622. condocui: Relinqui-
 tur sane, locum Justinii, prout §. VII. vulgo

legitur esse corruptum. Quodsi ergo in duabus vocibus, nempe articulo τὸν & nomine στρατὸν, loco υ, substituas υ, difficultas omnis tolletur, & omnia pulcherrime convenient. Ita enim legitur sententia tota: καὶ τῆ τῶν ἄλλων ἐπομένων καὶ ἕξομοιζμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατῆ. Enimvero in vulgari lectione loco τῆ habes τὸν, & loco στρατῆ, legitur στρατὸν.

Neque autem id difficile est expedire, cur in loco isto, in quo nunc in nostro hoc Spho legitur, non servata est sententia; sed in sequentem relata, ut §. VII. videre est. Enimvero cum hoc modo Genitivus in Accusativum mutatus est, nihil erat facilius, quam jam hoc modo corruptam sententiam, in lineam sequentem, ubi verbum cum Accusativo construitur, transferre. Nam cum propter mutationem Genitivi in Accusativum, constitui amplius cum verbo regente ejus periodi, ubi locum naturalem habebat, non posset; in sequentem periodum commode transcribi potuit; ubi sine impedimento constructionis, etiam cum illa mutatione legi potuit.

Alterum est, quod cum Justinus in hoc loco, multa prædicata, & quidem larga manu Deo accumulavit, nihil video quid me impediatur, quominus etiam hanc sententiam, de qua controversia est, Justinum, ut prædicatum Dei veri, in periodo illa adhibuisse & usurpasse censeam. Enimvero ut Justinus Deum Christianorum tanto adcuratius ab Ethnicorum Diis commentitiis, & mendacibus Dæmonibus distingueret; de quibus periodis præcedentibus egerat: Christianorum Deum
ad-

adpellavit θεὸν ἀληθέστατον , Πατέρα δικαιοσύνης (πατέρα) σωφροσύνης (πατέρα) ἄλλων ἀρετῶν , θεὸν ἀνεπίμικτον κακίας. *Deum verissimum, Patrem justitiæ (Patrem) temperantiæ , (Patrem) aliarum virtutum (puta: veracitatis , pietatis cet.) Deum omnis malitiæ & vitiositatis expertem.* Nonne igitur plusquam vero simile est , Justinum etiam hanc sententiam , de qua lis est , de Deo vero Christianorum , velut prædicatum dixisse : ἀλλ' ἔχ' ἄθεοι ἐσμεν , τῷ ἀληθεστάτῳ θεῷ , καὶ τῷ (πατρὸς) τῶν ἄλλων ἐπομένων , καὶ ἰσομοικμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατῷ. *Sed si de Deo , qui verissimus est , agatur ; & de (Patre) exercitus bonorum Angelorum , qui illum adsectantur , & ipsi adsimilati sunt (agatur:) Athei nequaquam sumus.* Ergo in hac Justinii periodo , *Deus Pater* erit subjectum , & cetera prædicata: e. g. *Pater temperantiæ , Pater virtutum ceterarum , Pater bonorum Angelorum exercitus cet.*

Quod si igitur hic locus Justinii hoc modo restituatur , ex testimonio Justinii Pontificios pro cultu Angelorum nihil lucrari posse , testatissimum est. Nunc illi , quibus Justinii codices MSSpti ad manus sunt , videant , numne hæc lectio quam adtuli ex textu , aut variante lectione communiri possit.

